



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 13. in desides.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

quasi rota carri stridet, & aures molestiâ immodicâ afficit. & cur stridet carrum? quia inunctum non est; & cur ad impatientiam facîle concitatur mortalis? quia unctiorem Spiritûs Sancti non habet. non stridebant Apostoli, sed tanquam triumphale divinæ gloriæ effedum, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati, unctiorem nimirum Spiritûs Sancti abundabant: *unctiorem habetis à Spiritu Sancto* 1. Ioan. 2. v. 20. quam unctiorem impatientes habere non possunt, contristant enim & extingvunt in se Spiritum Sanctum, prout memorabili documento tradidit Hermas D. Pauli discipulus l. 2. Pastoralis, mandato 3. quod

„ si patiens fueris, Spiritus Sanctus
 „ qui habitat in te, mundus erit: &
 „ nõ obscurabitur ab aliquo nequif-
 „ simo Spiritu, sed gaudens dilata-
 „ bitur & epulabitur in vasa, in quo
 „ habitat & apparebit Domino hi-
 „ laris in pace magna. Quod si i-
 „ racundia aliqua supervenerit, con-

tinuò Spiritus Sanctus, qui in te est,
 „ angustabitur & quæret discede-
 „ re; suffocatur enim aspectu ne-
 „ quissimo & non habet locum ap-
 „ parendi Domino, sicut vult: tri-
 „ bulatur enim ab iracundia. ita Her-
 „ mas apud Cornelium in Eccl. pag.
 655.

Si ergo sapimus, si vitam, si salutem, si Spiritum Sanctum diligimus, in fermento non simus amplius, sed expurgemus fermentum malitiæ & nequitiae, Paulinæ adhortationis nunquam immemores: *expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* illa scilicet sçavitare & puritate præditi, quam in regenerationis lavacro accepistis, cum à fermento peccatorum omnium depurati coepistis esse azymum candidum, ad gustum & delicias dulcissimi ac patientissimi vestri Redemptoris.

* * *
 * *
 *



PHILIPPICA XIII.

In Desides.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Quid hic statis tota die otiosi? Matth. 20. v. 6.

S. I.
 Evange-
 lica senten-
 tia expen-
 ditur.



QVot verba tot fulmina: *quid?* quæ excusatio, quod nequitiae palliolum, quis fucus vestram tegere potest desidiam? an quodd nemo vos conduxerit? at conduxit vos natura horâ vitæ vestræ primâ; nati enim estis ad laborem. an labor vires ex-

cedit? imò non nisi diurnus, brevis videlicet & levis est. An de mercede lis & metus? jam numeratus est denarius omnibus veræ felicitatis numeris, omnibus bonorum generibus, omnibus gloriæ & opulentiae thesauris absolutus. dicetis fortè: leo est in via, leo est in vinea; at hic de tribu Juda leo arcet stigium illum leonem, qui circuit quærens

rens desides, quos devoret; cave-
te, nè hic vos inveniatur. Quid: *hic*
statis: hic in foro negotiationis loco,
cui nomen ab afferendo vel aufe-
rendo, ut docet Isidorus. *hic* in exi-
lio, cum operari Adam iustus sit in
paradiso, *hic* in tanta hominum col-
lue, ubi laqueorum plena omnia.
quid dico? *hic* in Ecclesia, cælo sci-
licet terrestri, ubi nec mora, nec re-
quies in decantandis Deo laudibus
& ferendis bonis fructibus esse de-
bet. *hic statis* ò viatores lentuli in
via, stadiodromi inertes in stadio,
desides rotæ in magno mundi ho-
rologio! *tu stas & tempus tuum am-
bulat*, inquit Ambrosius in ps. *statis*
velut aqua stagnans, quæ putet, ve-
lut aër ventis non agitur, qui pe-
stem aspirat, velut equus ex nimia
statione inutilis ad cursum, velut
horologium immotum, quod nul-
lius est momenti. *statis* velut trunci
inutiles, & idola gentium, quæ pe-
des habent & non ambulant, vix a-
liis aptiora aris, quàm focis vulca-
ni. *statis totâ die*, die tam pretiosâ,
ut eius dispendium nullis thesauris
reparari, nec divinâ omnipotentia
revocari possit, cuius proinde nulla
particula sine lucro & foenore transire
deberet; *non advertit insipiens* (sa-
pientissima admonitio est Bernardi
ferm. de tripl. custod.] *non ad-
vertit insipiens, quid amittat. libet confa-
bulari, ajunt, donec hora prætereat. ò!
donec hora prætereat, quam tibi ad
agendam pœnitentiam, ad obtinendam
veniam, ad acquirendam gratiam, ad
gloriam promerendam miseratio con-
ditoris indulget. statis totâ die otiosi*
ergo & curiosi, quia mater curiosi-
tatis otium; ergo & flagitiosi, quia
omnium scelerum sentina otium;
ergo & perniciosi, quia urbium &
regnumque perditio otium. Contra
otium itaque conclamemus, nec e-
rit labor hic noster otiosus.

S. 2.

Otiosos hodiernos si attentius

observem, manus in finem imposi-
tas videre Videor, verum hinc le-
præ periculum imminet, ut Moy-
ses suo expertus est damno Ex. 3.
Dedit Deus homini manus in eum
finem, in quem avi alâs teste Job. c.
5. *homo nascitur ad laborem; & arvis
ad volatum.* Non frustra, ajebat
laboriosissimus Alphonsus Rex te-
ste Panor. l. 2. de gestis, non frustra
Deus & natura Regibus dedit ma-
nus; imò regium est laboribus, ser-
vile otio vacare, inquiebat Magnus
Alexander. Cato Cenforius ma-
nus explorabat eorum, qui in Ro-
manam adlegi civitatem optabant.
itâ explorabuntur manus nostræ in
die judicij. *nunquam quis celorum ci-
vis erit, si otiositatem amaverit*, in-
quit Augustinus. Narrat Eusebius l.
5. c. 15. hist. Ecclesiastic. fratres Do-
mini accusatos tanquam ex Davidi-
co creti sanguine novas molirentur
factiones, qui ubi manus suas
callo obductas, sulcis laceras, labo-
re induratas iudicibus inspiciendas
dedere, ab omni criminum suspicio-
ne absoluti sunt, quasi non essent.
sanguine regio prognati, cum ex hac
ipsa demonstratione convinci po-
tuisset veri confanguinei Christi,
qui hodiè que perforatas ostentat
manus & in examen die novissimo
contra omnes pigros adducet dicet-
que: ecce ego in laboribus à juven-
tute mea, multa tuli, fecique puer;
& vos ad undecimam usque vitæ
horam, & ultimam senectam otio-
si? ego in sudore vultus panem co-
medi; & vos ex sudore & sanguine
alieno epulas vestras instruxistis?
videte manus meas, & afferte ma-
nus vestras, proh quàm dispares
amborum manus! & benedictio-
nem de manibus meis præstolami-
ni? ite otiosi, ite malitiosi, ite male-
dicti, tanget vos manus mea, con-
culcabit vos pes meus; & quia pro
denario æterno, tempore modico labo-

Manus o-
tiosorum
expendun-
tur.S. August.
ser. 16. ad
fratres in
eremo.

laborare noluitis, laborate in de-
 cumanis supplicijs sub flagello & ju-
 go dæmonis in æternum. Marcus
 Aurelius Imperator ad Pollionem
 scribens testatur nemini civium Ro-
 mæ licere in publicum prodire, ni-
 si artis vel opificij insigne secum
 gestet, alioquin & puerorum cla-
 moribus incessitur, ut fatuus, & à
 Censore condemnatur, ut noxius,
 operique publico faciundo mox ad-
 dicitur. Manum laborantis Maca-
 rij osculatus S. Antonius: *multa*, in-
 quiebat, *virtus hinc egreditur*, quis
 ò desides leprosam manum vestram
 osculetur, quis non conspuat & ex-
 cretur. Arnisbergæ in Monaste-
 rio Canonicorum Præmonstraten-
 sium Sacerdos quidã tempus omne,
 quod à consuetis exercitijs reli-
 quum habebat, describendis libris
 impigrè impendit, viginti annis post
 mortem, cum tumba ejus reclude-
 retur, carne ceterã in pulverem re-
 ductã sola dextera manus succulen-
 ta ac vivida est reperta, hodièque
 perdurat teste Cæsario l. 12. c. 47.
 nõ perdurabunt otiosorum manus,
 quæ viventibus etiamnum putent
 & halant sepulcrum.

§. 3.
 Item pe-
 des.

prov. 6. v. 6

Ex manibus ad pedes eamus
 & otiosos increpari notemus, non
 quod sedeant aut jaceant, sed quòd
 stent: *quid hic statis?* ad apes ad
 apes cum eiusmodi inertibus sta-
 tionarijs juxta effatum sapientissi-
 mi Salomonis in versione septua-
 ginta interpretum: *Vade ad apem*
 ò piger, & *disce quomodo operaria est*,
 apes dicuntur quasi *sine pede*, pedes
 non habent, quibus otiosæ stent,
 sed in pedibus alas, ut velocissimè
 procurrant; nullus apibus per oti-
 um perit dies, etiam ad lunæ lu-
 men operantur exturbantque igna-
 vas ex alveari, imò & morte affi-
 unt; ad portas excubant præsidia-
 riæ, ut prædones mellis vespas a-
 bigant; aliæ mellificant, aliæ vetu-

lis inserviunt, mortuas efferunt, nul-
 la otiosa, multæ in ipso labore oc-
 cumbunt. & cui laborant apes? sic
 vos non vobis! ò digni aculeis a-
 pum omnibus homuli, qui labore
 vos vinci ab apibus finitis. Ex vi-
 ta Medardi accepimus furem no-
 cturnum, alvearia expilasse, imò
 transtulisse, sed ab apibus circum-
 datus & punctus tamdiu est,
 dum pedibus S. Medardi accideret
 & veniam oraret. Scripserint scili-
 cet suis illis aculeis in frontem im-
 pudentissimo nebuloni textum sa-
 crum: *Vade piger ad apem*, & disce
 operari non furari, apem non ve-
 spam agere. quin & Plinius l. 11. c. 16.
 observat, fures esse apibus exosos
 & furto sublatas apes minimè pro-
 venire:

Non melle sed felle digni, imò
 inediã extremã afficiendi, qui op-
 rari non volunt, statuente sic Ap-
 stolo 2. Thessal. 3. *si quis non vult o-*
perari, nec manducet: non conve-
 scatur laboriosis deses, imò nè con-
 vivat quidem.

Scimus ficum infructuosam, Luc. 13.
 quæ triennio fructum attulerat nul-
 lum, succidi jussam, eò quòd ter-
 ram frustra occuparet, ut discamus
 homines vitã esse indignos, qui
 laborare non volunt. Draco Rex
 Ægypti lapidari jussit pigros. lapi-
 des præscripsit Siracides, quod c. 22.
 v. 2. leges. Solon Atheniensibus pœ-
 nam mortis indixit, si quotannis
 non remonstrarent, quã se alerent
 arte; nimirum vitã indigni sunt, qui-
 cunque vivunt otiosi.

Otium in ferro rubiginem, in
 ligno cariem, in panno tineam, in
 domibus ruinam, in terra sterilita-
 tem, in aqua putredinem, in aère
 pestilentia generat, in homine quid?
 hæc omnia. *Sicut terra non occupa-
 ta semente aut consitione, quamlibet
 herbam producet: sic & anima quoti-
 es non habet, quod agat rerum neces-*

§. 4.
 Otij ef-
 fectus &
 definitio-
 nes.

S. Chry-
 sost. hom.
 7. in 2. Cor.

S. Lauren.
Justin.
de grad.
per. & 9.

S. Bernard
ser. ad frat.
de monte.

Ecccl. 33. v.
29.

Jaruarum, cum omnis cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. ita Chrysoſtomus. *Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit, ac humano usui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxijs: ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* ita Laurentius Justinianus. *Omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina,* ita Bernardus. non immeritò hom. 8. in hexam. S. Basilius vocat otium *præceptorem omnium vitiorum.* teste enim Ecclesiastico; *multam malitiam docuit otiositas.* per otiositatem, ait S. Augustinus ferm. 16. ad Fratres in e-
„remo, accendimur frequenter ad
„luxuriam, per hanc animamur ad
„superbiam, per hanc ducimur ad
„mundi gloriam, per hanc tenta-
„mur ad delicatè pasci, per hanc
„suffocamur pretiosè vestiti, per
„hanc ad superfluam dormitionem
„trahimur, per hanc ad verba sæ-
„cularia ducimur, nūquam quis ci-
„vis cœlorum erit, si otiositatem
„amaverit. Dixisse de otio videtur
omnia, qui sic dixit: Otium naturæ
pudor est, sentina familiæ, hostis ar-
tium, Magister ignorantia, pater
inopiæ, curarum prodromus, me-
moriam sitis, nox ingenij, pestis vo-
luntatis, morborum fomes, leno
pudicitia, virtutis exilium, vitiorū
hospitium, Angelorum labor, dæ-
monum præsidium, animæ prodi-
tor, terræ probrum, cœli dolor, nu-
minis odium, hominis vivi sepul-
crum, mortui barathrum. The-
mistocles adolescens ex otio in tot
turpitudines degeneravit, ut tan-
quam degenerem exhæreditarit pa-
ter, mater vetò turpitudines filij
non ferens præ doloris impatientia
gulam sibi laqueo fregerit; at verò
ubi in ætate virili resipuit & labo-

ri se virtutique dedit, nihil eò spe-
ctabilius, nihil illustrius, tesserà illi-
us deinceps erat. *otium vivi homi-
nis sepulchrum.*

Oraculum illud nō è tripode, sed
Diogenis dolio verissimum prodit:
Libido est otiosorum negotiū. ô Da-
vid! ô Salomon! ô Samson! non po-
tuisti inter armorum strepitus cade-
re ô David! non potuisti inter fabri-
cæ curas perverti ô Salomon! non
potuisti inter velitationes Philisthæ-
orum superari ô Samson! At cum eo
tempore, quo solent Reges ad Bel-
la procedere, otiosus in aula rema-
neres ô David, è corde Dei excidi-
sti; cum otio difflueres ô Salomon,
è sinu Dei excidisti; cum in Sinu Da-
lilæ otiareris ô Samson, è pupilla
divini oculi excidisti, turpissimas
in iniquitates, adulterium, idolo-
maniam, cæcitatem, ô trias infelix
cecidisti. *Teneatis firmissimè,* Hiero-
nymus exclamat, *quod omnis con-
cupiscentia atque peccati mater est o-
tiositas.*

Creavit Deus terram, & non
dixit esse bonam, sicut bonam di-
xerat esse lucem; creavit idem ho-
minem, & non pronuntiavit bo-
num esse, sicut bona cetera pronun-
tiarat, cur ita? an non melior homo
ceteris corporeis creaturis? an quia
homo de humo est, idcirco bonus
dici nequit, cum nec terra bona
dicta sit; vix enim fieri potest, ut non
bona mater bonum generet filium,
& cur terra bona non vocatur? re-
spondet S. Ambrosius, quia adhuc
erat inanis & vacua, vacua autem
terra sponte suâ inutiles & no-
xias germinabit herbas, adeoque
bona dici non merebitur; sic & ho-
mo bonus dici non merebitur, quam-
diu de opere ejus non constat; quia
ergo bonitas hominis ab opere pē-
debat, distulit tantisper Deus homi-
nis laudem, donec ex operibus
dignum laude vel vituperio con-
no-

S. Hieron.
de Mona-
che. ÆGYP.

§. 5.
Adamū
perdidit
otium,
quod suo
Dei para-
nos dedo-
cet exem-
plo.

notaret. Atque ut bonum potius quàm malum diceret, induxit eum mox à creatione in paradysum, ut operaretur, non quidem opera molesta, qualia nostra sunt, sed quæ præcisè fugarent otiositatem, velut malorum omnium magistram. Si itaque in statu naturæ integræ judicavit Deus expedire homini, ut otiosus non sit, quid in hoc statu lapsæ & perversæ naturæ fiet, si non operemur, & sponte subnascētia Zizania quotidie de terra cordis nostri eradicemus? & quid Adamum paradiso, quid immortalitate, quid dominio spoliavit, quàm otium? affirmante Chrysostomo hom. I. ad pop. *Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit; idcirco otiosus ab ordine suo & creatione deficit.* Non præsumpsisset ad Evam serpens accedere, nisi otiosam vidisset. non potuisset ad pomi esum Adamus induci, si occupatas laboribus à Deo præscriptis manus habuisset.

Evæ mutans nomen & corrigens errores MARIA panem otiosa non comedit, ideoque caput serpentis contrivit. Dilaudat eam Regum sapientissimus super omnes Græciæ Amazonas, & Italiæ Heroïnas, quòd operi semper intenta, otio fuerit inimica: *manum suam misit ad fortia*, ad quænam fortia? Holofernem novum jugulavit? Sifaram terræ affixit? Hydræ capita exussit? nihil horum præstitit, sed *digiti ejus apprehenderunt fufum* Proverb. 31. ideoque *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hæc mulier extra controversiam Virgo Deipara fuit, de qua D. Bernardus serm. 2. super missus. *quàm verò aliam requirebat mulierem Salomon, cum dicebat: mulierem fortem quis inveniet.* In hac Dei Matre otij odium, amor laboris, exercitatio assidua, parca erat ad lo-

quendum, inquit Ambrosius, studiosa ad loquendum. Hæc lex illi domestica nunquam otari. Illa & inconsutilem Christo togam, & mappam, quæ in ultima cœna fuit adhibita, hodièque Ulyssi, pone in templo S. Rochi Societatis Iesu religiosissimè asservatur, pictis phrygiâ acu elegantissimis lilijs contextuit. Cur lilia potius, quàm alios flores pinxit? quia liliorum odore serpentes, manuum labore dæmones effugantur. Quamdiu florentinæ illæ Filia (de quibus in vita S. Antonini apud Surium 2. Maij legere est) manus miserunt ad fortia & digiti apprehenderunt fufum, sorores fuerunt Angelorum & lilia sponsi, dignæque cœlo charites, unde & angeli inumeri super tecto domus exultare à Sancto Archipræsule conspecti sunt, at postquam stipe largiori donatæ remisere ab operibus manus, spinæ fuere & ludus dæmonum, deque Proserpinæ gynecæo furia avernales. Quod nè & filiabus suis aliquando accideret, præcavens prudentissimus Imperator Carolus Magnus ad colum & fufum easdem addixit; inscripsitque colo aureas hæc litteras: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde;* ut videlicet IESU & MARIE exemplo manum mittere ad fortia non dedignarentur, Filios verò suos omnes arte quâpiam mechanicâ erudiri fecit (quæ & hodie laudatissima Austriacorum Archiducum est consuetudo) ut otium quàm longissimè à se repellerent, & non imperio tantum, sed & empyrio dignos se exhiberent. Imperatoria fuit illa Caij Marij vox apud Salustium: *Nemo ignavia immortalis factus est.* Quis unquam otiosus, inquit egregiè Valerianus Episcopus hom. 2. quis unquam otiosus trophæa composuit? *Non otiosis aut dormientibus provenit regnum cœlorum,* inquit. S.
I 3 Pro-

S. Prosp.
l. de cont.
mundi.

Prosper, nec otio torpentibus aeterna
beatitudo ingeritur. Septimius Severus
Imperator pro militari tessera
tribunum dare iussit: *Laboremus.*
Pertinax verò Imperator: *mitemus.*
Labore & certamine opus est, ut,
quod vim patitur, regnum cœlo-
tum mereamur, cuius Imperator,
IESUS Christus, etsi omne crimi-
num genus sibi innocenti objici pas-
sus sit, otij tamen argui nequaquam
potuit, ut vel inde inculcata ejus e-
mineret vita, quæ otii esset inimica,
sicut enim omnium ibi sentina vi-
tiorum, ubi otium, ita omnium ibi
seminarium virtutum, ubi labor.

S. Bernard
de modo
benevi-
vend. c. 51.

Regnum Dei non dabitur otiosis,
monet D. Bernardus, *sed in servi-*
tio Dei studiosis, non dabitur vagan-
tibus, sed pio servitio Dei dignè la-
borantibus. mercenarij sumus: mer-
cenarius, ait S. Chryostomus, non
ad manducandum conducitur, sed
ut opus Domini sui faciat. quo au-
tem die opus non fecerit, erubescit
panem petere.

§. 6.
Otio de-
lectatur
dæmon.

Ab otio dehortatus Ephesios
Paulus ita scripsit c. 4. v. 17. *nolite*
locum dare diabolo, qui furabatur,
jam non furetur, magis autem labo-
ret operando manibus suis, quod bo-
num est. quibus verbis explicat A-
postolus, quid sit locum negare ma-
lo, operari videlicet manibus, quod
bonum & beatum est. Opifices lau-
dans Propheta regius: *Labores,* in-
quit manuum tuarum, *quia mandu-*
cabis, beatus es & bene tibi erit. bea-
tus ut esset Paulus scenopegicâ exer-
cuit, nec ullus Apostolorum fuit, qui
labori alicui non assvesset. *Nemo*
erubescat ex his, inquit in laudem
opificum Chryostomus hom. 5. in
1. Cor. *qui sunt artifices, sed hi qui ni-*
hil agentes aluntur, & sunt otiosi: per-
petuum enim opus facientem inde ali-
genus est philosophiæ: eorum sunt a-
nimæ puriores, eorum mentes robu-
stiores ac firmiores, nam qui est otio-

sus, multa temerè loquitur, & mul-
ta agit; & locum capacissimum,
diabolo præbet. Ut enim aves non
nidificant in rotis molarum, nec
resident illic, nisi rotæ desides sint;
sic dæmon non nisi in otioso requi-
escit, otium diaboli pulvinar. Rectè
præceptum olim fuit: *facito aliquid*
operis, ut te semper diabolus inve-
niat occupatum. antiqua enim pri-
scis ascetis fuit paræmia: qui labo-
rat, ab uno dæmone, otiosus ab
innumeris infestatur. ubi sterten-
tem, nugantem, otioque solutum
te viderint maleficæ illæ mentes,
subitò advolabunt ut corvi ad pa-
tibularium, ut muscæ ad victimam,
harpyjæ ad mensam, vultures ad ca-
daver, ut nocturnæ stryges ad in-
fandam choream. quare ut primùm
nocturni isti lemures te infestârint,
fac illico operis aliquid & fugabis,
Energumenum producunt Evan-
gelistæ Matthæus & Lucas c. 8. Marc.
c. 5. non ab uno duntaxat dæ-
mone sed legione integra obfes-
sum; cur tot infestis hostibus miser
homuncio cesserit in prædam, cau-
sam esse suspicor, quia otiosi ty-
pum expressit, habitasse enim dicitur
in sepulchris, otium verò quid
est? *vi-vi hominis sepulchrū.* prope à
sepulchro, à dæmonum jugo, ab in-
ferno absunt, qui otio contabescunt;
nec uni dæmoni, sed integræ man-
cipantur legioni, qui manus non
impendunt labori. parum dixit Hu-
go Cardinalis in c. 12. Matth.: *nolite*
stare otiosi, quia ad domum vacantem
unde exi-vit, diabolus re-vertitur, &
habitat cum septem spiritibus nequio-
ribus & sunt novissima hominis
illius pejora prioribus. parum in-
quam dixit, dum septenos duntaxat
dæmones assignavit, legionem di-
cere debuerat, nisi fortè per septe-
narium numerum phrasi Gregoria-
nâ totam demonum intelligat uni-
versitatem. Maximis in inferno
cere

miserrimi dæmones mactantur tormentis, ex quibus, ut non nihil respirent, otiosos in foro homines quærunt, hi enim gratissimam infernalibus hostibus quietem & hospitium indulgent. otium hominum, quies dæmonum.

§. 7.
Affectus.

Auditis hæc otiosi in foro, otiosi in templo, otiosi in officina, otiosi totâ die, totis annis, vitâ totâ; & statis adhuc nec in vineam Domini accurritis & laboribus manus admoveatis? heu leprofas manus, heu idola insensata, inutiles truncos, non nisi inextinguibili aptos gehennæ!

quin extemplo immortale otio odium & bellum indicite & in expansa IESU Crucifixi brachia manus vestras injicite ac stipulate: Laborabimus, militabimus, sudabimus usque ad agoniam & sanguinem, ut tuis digni stipendijs ac denario, de labore ad requiem, de bello in pacem, de vinea in cœlestem Jerusalem & imensam illam Magni Patris familias domum jucundi & beati aliquando transeamus.

* * *



PHILIPPICA XIV.

In falsos Amicos

DOMINICA SEXAGESIMÆ,

Tempore tentationis recedunt Luc. 8. v. 13.

§. 1.
Per Dei
verbum
reddimur
Amici Dei.



Verbum Dei avidè auditum fidelitèrque retentum, facit hominem Dei amicum, & quidem tam arctæ necessitudinis, quanta potest esse inter parentem ac filium. Elatâ voce nescio quæ mulier beatum prædicabat ventrem, à quo Christus gestatus esset; at vicissim beatum pronunciat Christus verbi sui auditorem, quasi is Matris habendus sit locò, qui verbum DEI accipit atque exemplo Intemeratæ Virginis in corde suo custodit: *quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud* Luc. II. v. 28. quasi dicat, juxta explanationem D. Ildephonsi, Laurentij Justiniani, & Bernardini Senensis, magis mihi cognata MARIA propter auditum DEI verbum, quam propter me suo gestatum in utero; hinc ænigmate ple-

na Isaïæ vox: *antequam parturiret* 11. 66. v. 7. *peperit*. Antequam concepit Deum in utero, jam illum concepit in animo, quia verbum ab Archangelo prædicatum accepit, credidit, implevit. Cùm aliâ vice sub id tempus, quo Christus prædicabat, eadem nunciaretur Matrem foris stare audiendi verbi avidam, memorabili dicto Iesus definivit (proue, Matthæus c. 12. v. 26. consignavit) illum Christo pro Matre & fratre & sorore esse, qui voluntatem æterni Patris expleverit; voluntas verò Patris in quo consistat, declaravit ipsemet voce cœlitus emissâ in Thaborea transfiguratione: *hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*. Ecce clarâ DEI voluntatem, ut ejus verbum audiatur eâque ratione in consanguinitatem cum Christo transeat. Qua de causa emancipatos Apostolos Christus declaravit esse ami-

Ildeph. c. 8. de V. M. Justin. de cast. Conub. c. 9. Bernard. tom. 1. ser. 52.